

vere cum
reſtitutio-
nis obliga-
tione pec-
cator.

navigium aliquod ad portum, mancipiis oneratum, appellit. Tunc enim omnia illa Regio debent fiſco addici: quæ ergo Regius miniſter titulo ſubornationis acquirit, Regis, ſaltem poſt ſententiam, ſunt, ad quam talis miniſter tenetur: & ita dum eam non pronuntiat, ad damnum ex eo ſecutum vrgetur: eſt autem damnum non in ſolâ iurium defraudatione, ſed in mancipiorum amiſſione, vnde illa Regio fiſco redhibenda. Quod tamen hucusque fecit nullus. Et quis ſperet qui ſecus faciat, futurum, cum ad aſſecurationem huiusmodi conſcientiarum Theologi, & vtriam inempti, ſuccurrant.

CAPVT XIX.

De pœnis Regiæ Camerae, & pro expenſis iuſtitia.

Pœna Camerae & iuſtitia quæ ſunt, & de earum gemino diſcrimine inter ſe, & ab aliis.

146 **A**git de illis Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 5. num. 83. & 84. & copioſius in Poſticiâ Lib. 6. Cap. 11. locupletius autem D. Eſcalona in Gazophylatio Lib. 2. Parte 2. Cap. 13. vbi multa adducit ſciti digna pro iis, qui circa hoc curam ſunt aliquam habituri. Sunt autem pœnæ huiusmodi omnes illæ, quæ propter delicta diuerſa Regio fiſco in pecuniâ ſoluendæ conſignantur; in eo à præſatis de Commiſſio diuerſæ: nam iſtæ in rerum prohibitarum amiſſione conſiſtunt, non in pecuniæ quantitate. Neque diſcrimen hoc earum plenè conditionem exprimit: nam datur etiam pœna pecuniaria Camerae applicata, quæ tamen Camerae non dicitur: cum ſcilicet à iudice imponitur ſecundum illius arbitrium, & dicitur multa Cameralis. Vt ergo pœna Camerae dicatur, debet eſſe à lege pro tali delicto designata. De quo diſcrimine agunt Peregrinus, & Richardus, quos adducit citatus Eſcalona ſupra pag. 185. l. X. marginali reſpondente num. 18. A conſiſtatione item differt, quia hæc eſt bonorum captura, quibus ſe delinquens fecit indignum. A pœnâ item pro expenſis iuſtitia, quia hæc non ſpectat ad fiſcum, ſed publici iuris eſt, per Regios adminiſtrata miniſtros: ſecus illa, vt nomen ipſum ſatis indicat. Eſt autem pro illis ſpecialis miniſter deputatus, qui Receptor dicitur, & officium pretio obrinet, atque ad rationem decem pro centum ex omnibus acquiſitis: quia in eorum collectione multum eſt laboris & induſtriæ ab eodem collocandum, habetque plures, & magni momenti leges, ad quarum teneri obſervationem dubitari nequit: eritque tunc ſub mortali obligatio, quando ex violatione detrimentum aliquod Regio fiſco aut priuatis accidet iniuſtè vexatis. Negligentia etiam pariter culpabilis in illo eſt de cauſâ, quando videlicet propter eam debita malæ conditionis ſunt, vt recuperari nequeant, aut non ſine magnis expenſis. Vnde cum rationem reddet ſingulis annis, ſi quæ pœnæ ſolutæ non ſint, diligentiâ debet pro eo adhibitas comprobare: quod ſi non præſter, illi imputatur defectus, vt ex Capitulis Inſtructionis conſtat, de quibus citatus Eſcalona pag. 190. num. 12. E. g. Si curauit vt incarceration non exiret à carcere ante pœnæ ſolutionem,

Receptoris pro illis officium & obligationes.

quod eſt legibus & reſcriptis cautum, quæ adducit Citatus pag. 184. l. G. reſpondente num. 6. Hac enim diligentiâ adhibita, ſi reus dimiſſus eſt, & ſic debitum peioratum, non Receptor, ſed Iudici damnum imputandum, ad cuius reparationem tenebitur, vt pœna ſcilicet integrè perſoluitur.

147 Legibus & reſcriptis, de quibus citatus Eſcalona pag. 186. l. L. O. O. reſpondentibus num. 31. prohibentur Eccleſiaſtici indices pœnas pecuniarias laicis imponere, etiam Regiæ Camerae applicandas. Vbi ſtatim occurrit difficultas quo id iure fieri poſſit, cum ſtatuta laicorum contra libertatem Eccleſiaſticam vim nullam habeant, & qui ea condunt Eccleſiaſtici Cenſuris ſubiiciantur: de quo dictum paullo ſuperius n. 142. Vbi ad ius nequit naturale recurri, iuxta quod poſſunt Reges ſubditos tueri, ne grauamina iniuſta eiſdem inferantur: qualia timeri poſſunt, ſi Eccleſiaſtici iudicibus liceat pecuniarias pœnas laicis delinquentibus irrogare. Nam licet multoties non excedent, ſæpius tamen poteſt exceſſus timeri, cum experientia doceat auaritiæ in multis vitium dominari. Non inquam recurri poteſt: nam hac ratione non liceret pœnas pecuniarias imponi ſoluendas ab Eccleſiaſticiſ: quod tamen eſt indubitatum, & Regiæ auctoritate munitum, dum ſtatuit, vt pœnæ pecuniariæ, quas iudices Eccleſiaſtici imponunt, pro mediocritate Sanctæ Cruciatæ ab eiſdem applicentur. Vt de Iure Canonico, Conciliis, Tridentino præſertim, non loquar, ex quibus hæc veritas maniſeſtiſſimè demonſtratur. Cum tamen in illis eadem iuris naturalis ratio ſit, quo & ſe Reges tueritur, vt recurſum per viam violentiæ vti iuſtificatum admittant. Deinde, in caſu, de quo loquimur, omnis auaritiæ ſuſpicio abeſt: cum enim pœna Camerae Regiæ applicetur, nullum ex eo iudici emolumentum accreſcit. Vt taceam id, quod de auaritiâ Eccleſiaſticorum dicitur, in laicis multò potiori ratione ſuſpicandum, minùs ad diuina attentis & maiorum obligationum ponderibus, vxoris, filiorum, & ſimilibus prægrauatis. Nec de Eccleſiaſticiſ tantum locutus Propheta, cum dixit: *A minore quippe uſque ad maiorem omnes auaritiæ ſuadent.* Vnde & ſequitur: *& à propheta uſque ad Sacerdotem omnes faciunt dolum.* Ieremia 6. v. 13.

Prohibiti ne iudices Eccleſiaſtici pœnas pecuniarias laicis imponant, quo fieri iure poſſit.

Auaritiæ labes ab Eccleſiaſticiſ cui ſingularis propulſa.

Ierem. 6. v. 13.

Quomodo prohibiti diſta intelligenda, cum pœna Camerae applicentur.

148 Quid ad hæc? Illud certè, legem iſtam ſano modo intelligendam, vt ſcilicet Eccleſiaſtici iudices admoneantur, eorum condemnationes à Regiâ Camera non admittendas, & ita fruſtrâ eiſdem applicandas. In quo quidem non videtur libertas Eccleſiaſtica vllatenus violari: quare autem ita decretum à Catholicis Regibus, ea eſſe ratio potuit, quia non videtur conueniens vt Iudices Eccleſiaſtici more laicorum procedant per ſicales condemnationes, & iurisdictiones eo pacto confundantur, dum id, quod ab Eccleſiaſtica poteſtate imponitur, per laicam executioni mandatur. Vnde quod ex Sedis Apoſtolice priuilegio ex pœnis ab Eccleſiaſticiſ impoſitis ad Regem ſpectat, Cruciatæ traditur, vt ab illâ executioni mandetur.

149 Eſt autem dubium graue, an ſicut Eccleſiaſtici iudices nequeant pœnas dictas imponere Regiæ Camerae applicandas, ita nequeant generaliter

Negantiū ſententia ob conſuetudinem, quæ ius abrogauit.

generaliter illas imponere laicis applicatione aliâ factâ, aut Cruciatæ ſcilicet pro mediocritate, vel ad pia opera, vt circumſtantiarum viſum fuerit conuenientiam poſtulare. In quo quidem negantiâ partem tenent aliqui, qui id ſpecialiter ſtatuant reſpectu violatorum Eccleſiaſticae immunitatis, dum conſugientes ad Eccleſias extrahunt: licet id iure liceret ex Cap. *Si quis contumax.* Cap. *Miror.* & Cap. *Quisquis* 17. *Quæſt.* 4. id enim per conſuetudinem contrariam abrogatum, vt teſtatur Gloſſa in Cap. *Cum multa.* Verb. *Conuubio* 15. *Quæſt.* vlt. quem ſequitur Iulius Clarus in *Practica*, s. finali, *Quæſt.* 30. num. 1. vbi citat Angelum de Caſtro inter Conſilia Pauli de Caſtro eius patris *Conſilio* 458. circa finem *Lib.* 2. Decianus in *Tractatu Criminali*, lib. 6. cap. 28. el. 2. num. 4. Ludouicus Peguera in *Praxi criminali*, Cap. 16. num. 5. Verſ. *Verum tamen.* Doctor D. Petrus de Menefſes Ficalis Regius in Limano Prætorio, in quo & poſteâ Regius Auditor *Allegationis ſpecialis*, pag. 15. Qui pro hac ſententiâ acriter depugnat, contendens neque per Concilium Tridentinum, neque per Conſtitutionem Gregorij Decimiquarti talem conſuetudinem abrogatam, generalibus quibuldam doctrinis de conſuetudinis vi, quando per legem contrariam ſpecialis non extat abrogatio, vt hic contigit. Licet enim Concilium *ſeſſione* 25. cap. 20. de *Reformatione*, & Gregorius XIV. pœnas à Iure contra prædictos ſtabilitas confirmet & innovent; non plus tamen roboris habent, neque aliter intelligenda eorum decifio; quàm Iuris ipſius decreta: & ita cum eiſdem limitationibus, ampliacionibus, reſtrictionibus, & exceptionibus, quas illa patiuntur: cum relatum in referent ſit cum omnibus qualitatibus. Cum ergo circa pœnas pecuniarias contrarium induxerit conſuetudo, circa illam reſtrictio eſt pariter Concilij, & Conſtitutionis decretis adhibenda. Eorum autem ratio videtur generaliter procedere: aiunt enim ex eo quod nequeat iudex Eccleſiaſticus pœnam pecuniariam laicis imponere, non ab eo tolli iurisdictionis Eccleſiaſticae deſenſionem, cum omnium maximam pœnam in ſua habeat poteſtate, excommunicationem inquam, quæ æquiparatur pœnæ mortis, Cap. *Per venerabilem*, qui *ſilijs ſunt legitimi.* Et arma propria Eccleſiæ ſunt Cenſuræ. Cap. *Dilecto*, de *ſententia.* excomm. in 6. Ergo numquam licet pœnis pecuniarijs vti. Vbi & argui à maiori ad minùs poteſt; ſi enim in cauſâ immunitatis, quæ adeo eſt grauis, & in quâ Eccleſiæ grate præiudicium inferitur, id non licet; neque in alijs equidem minoris momenti licebit.

Eorum ratio.

Reſciuntur vt Canonico iuri contraria.

Concilium Trident.

Episcopos habet Episcopum.

150 Verum generaliter loquendo hoc nequit iuſtineri, quia Ius Pontificum abſolutè probat huiusmodi poteſtatem. Et in Concilio Trident. *ſeſſione* 25. citato, Cap. 3. expreſſè decernitur verbis illis: *Licet eis, ſi expedire videbitur, in cauſis civilibus ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque etiam laicos per multas pecuniarias, quæ locis pijs ibi exiſtentibus, eo ipſo quod exacte fuerint, applicentur, &c. cauſas deſinire.* Sic Concilium. Hinc communis illa ſententia ſcriptorum aſſerentium Episcopum habere Fiſcum, qui videri poſſunt apud Barboſam de *poteſtate Episcopum* *Allegat.* 107. num. 16. & 17. ex quo ipſe cum pluriſ, quos citat, num. 18. colligit Episcopum

poſſe pœnam pecuniariam indicere, eamque ſibi, & Camerae ſuæ applicare. Quod quidem licebit quando admodum pauper eſt, non obſtante Concilij prohibitione: pro quo videndus idem num. 19. Nec modo id diſcutere ad noſtrum ſpectat inſtitutum; dum conſtet pœnas pecuniarias à iudicibus Eccleſiaſticiſ poſſe in cauſis laicorum indici.

151 Quod autem ad ſpecielem materiam immunitatis ſpectat, doctrina illa de conſuetudine negari nequit quin ſit veroliſſima, ſuppoſitione conſtante, quod ſcilicet talis conſuetudo ſit: quod tamen non videtur ita eſſe; nam conſuetudinem talem negant Cardinalis Tuſchus V. Eccleſia. Concluſ. 8. n. 11. Farinacius in *Practica criminali* lib. 1. *Quæſt.* 28. num. 5. in primâ editione. Et in *Tractatu poſtumo de immunitate Eccleſiæ*, ſeu *Appendice* ad dictam *Quæſtionem* Cap. 20. n. 319. Bobadilla in *Politica* *Lib.* 2. Cap. 14. num. 8. & alij. Ex quorum auctoritate conuincitur conſuetudinem non eſſe conſtantem. Et licet Gloſſa iam pridem de ſuo tempore teſtari poterit, illud ad præſens minimè conducere poteſt, in quo reſe aliter habere poteſt, & ad abrogationem conſuetudinis auctoritas Concilij Tridentini conferre, ante quod ſcripſit Gloſſa, & aliqui ex citatis Auditoribus. Et ex hoc elidî poteſt id, quod ex doctrinâ quorundam forſitan quipiſdam obiecerit ſcilicet credendum eſſe vni Doctori de conſuetudine teſtanti, præſertim (vt addunt aliqui) ſi præcellens ſit vt videri poteſt apud P. Thomam Sancium *Lib.* 7. de *Matrimonio*, *Diſput.* 17. num. 8. Nam licet demus ita eſſe; id intelligendum quando non eſt, qui contrarium aſſeueret; tali enim aſſeueratione res dubia redditur, etiam quando plures ſunt, qui de conſuetudine teſtantur: & ita ad firmendam illam conſenſus ſine contradictione requiritur; vt videri poteſt apud eundem. Præterquam quod ſententiam dictam de fide vni adhibendâ Doctori, communiter ſcriptores reiciunt, vt videri poteſt apud eundem, & etiam apud Dianam *Parte* 6. *Tractat.* 5. *Reſolut.* 28. vbi & plures Rotæ Decifiones adducit. Iuxta hæc ergo ſententia Gloſſæ non eam habet auctoritatem, quam citatus D. Menefſes contendit: nec Vicarius Generalis Limani Archiepiſcopatus vacante Sede aliquid contra rationem egit, eum pœnam duorum millium octingentium Provinciali S. Fratemitatis comminatus eſt, ſi ad executionem capitalis ſententiæ contra reum ab Eccleſiâ extractum proceſſiſſet. Quâ non obſtante comminatione furcæ eſt addictus homicida; ſic iudicantibus etiam Auditoribus criminum, & Præregi ipſo auxilium impartito. Nec tamen pœna ſoluta, quæ Regium Prætorium Ficalis ſui allegationi ſubſcripſit, & Prouincialis eſt, eo ſic pronuntiante, iuxta ſtylum indemnis abſolutus. De quibus hæc ſatis: poſt quæ ſcripta viſus Diana *Parte* 10. *Tract.* 8. vbi ſententiam noſtram eruditè & robuſtè firmat per totum. Videatur.

Non eſt conſuetudine in contrariâ.

Vni Doctore de illi conſtanti reſe debet credi.

In caſu contingentiâ quid actû Lima.

152 Pœnæ pro expenſis iuſtitia, licet ad Regium Fiſcum non pertineant, quia nihil ex illis collectum Regijs arcis inferitur, ad Regem vt proprius illius prouentus deſerendum; aliquomodo tamen dici poſſunt ad ipſum pertinere, quatenus ſcilicet ad deſenſionem iurisdictionis Regiæ deſerunt, delinquentium perſecutionem;